



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An ob delicum Prælati, vel alterius Clerici beneficiarij, cui secundùm leges feudorum pœna privationis est decreta, feudum amitrat Ecclesia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. V.

*De prohibita & illicita, vel licita
feudi alienatione.*

EX generalibus feudorum Principijs
Responſio ad hoc quaſitum deſumi
debet (quæ intelligi debent , tam de
Eccleſiaſtico, quàm de ſeculari feudo)
juxta quæ in genere docetur, quòd Vaſallus non poſſit validè feudum alienare,
ſive novum, ſive antiquum illud ſit, ſine
conſenſu domini directi , ne fiat con-
temptus, aut præjudicium domino di-
recto ; cum conſenſu tamen domini
directi, ſive tacitus hic ſit, ſive expreſ-
ſus, quòd licitè & validè feudum alie-
nare poſſit Vaſallus, expreſſè habetur in
pluribus feudorum juribus, ex quibus et-
iam patet, quòd Vaſallus in feudo, quòd
habet, alterum (ſimilem ſibi, quo ad con-
ditionem) ſubinfeudare poſſit, etiam
ſine conſenſu domini directi (cum in
tali caſu nihil patiatur dominus directus,
cui prior Vaſallus, qui hinc & nunc de
feudo ſuo ſubinfeudavit alium, plenè
obligatus maneat) niſi aliunde pro-
hibeatur.

§. VI.

*An ſi dominus à Vaſallo accipiat
feudum in pignus teneatur fructus com-
putare in ſortem, nec ne?*

Reſpondetur dominum talem non
teneri, qui à Vaſallo feudum à ſe
conceſſum in pignus accipit, fructus il-
lius pignoris, computare in ſortem, ſi
Vaſallus interim liberetur à præſtando
ſervitio, ad quòd vi feudi domino di-
recto obligabatur *cap. ex inſinuatione 1.*

Sss 2.

h. t.

tali recognoscat, in favorem ſcilicet
Eccleſiæ, ſpecialiter hoc conſtituente
Pontifice, ita tamen, ut ad alios Caſus
favor hic, juri communi contrarius, non
extendatur.

§. IV.

*An ob delictum Prælati, vel al-
terius Clerici beneficiarii, cui ſecundùm
leges feudorum pœna privationis eſt
decreta, feudum amittat
Eccleſia?*

Feudum patrimoniale Clericum de-
linquentem contra feudorum leges
non minus amittere, quàm Laicum,
certi juris eſt, cum in talibus feudis
clericus æſtinetur, ut Laicus: ſi verò
feudum ſit Eccleſiaſticum, quòd Cle-
rico competit ratione ſedis, aut dignita-
tis Eccleſiaſticæ, & quòd ad menſam
v. g. Prælati pertinet, non amittit qui-
dem abſolutè feudum tale, Eccleſia, ob
delictum Prælati v. g. quia delictum per-
ſonæ non debet in Eccleſiæ detrimen-
tum redundare *juxta reg. 76. in ſexto*
fructus tamen Prælati, qui deliquit,
non percipit, ſed ad dominum directum
redeunt, dum vivit talis Prælati;
mortuo verò illo, vel depoſito, ad ſuc-
ceſſorem in Prælatura revertuntur, prout
habetur in *Lib. 2. Feudorum Tit. 40. de*
Capitulis corrad. §. item ſi clericus, ut ſic
enim puniuntur competenter delinquen-
tes, delictum tamen perſonæ non eſt
Eccleſiæ damnosum.